




**De coena Domini veritas catholica, in gratiam studiosae
iuuentutis, methodice tractata,**

<https://hdl.handle.net/1874/423057>



v.
5

**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board











The image shows the front cover of an antique book. The cover is decorated with a traditional marbled paper pattern, often referred to as a 'stone' or 'shell' pattern. This pattern consists of dense, overlapping, wavy lines in shades of deep red, dark blue, and a golden-brown or ochre color, creating a complex, organic texture. The book's spine is visible on the right side, showing the raised bands and the edges of the pages. In the bottom right corner, there is a small, circular white paper label with the letters 'E.' printed above the number '2'.

E.
2

E. oct.

275^{2.}





2. 102752
DE COENA
DOMINI VERITAS

CATHOLICA, IN GRATI-
AM STUDIOSAE IUVEN-
tutis, Methodicè tractata,

per

IOHANNEM CANDIDVM.

1. Timoth. 3.

Ecclesia Dei, columna & stabilimentum veritatis.

August. in Ioan. Tract. 32. Cap. 7.

Quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tan-
tum habet Spiritum sanctum.



HEIDELBERGÆ.

M. D. LXXV.

Ad studiosam Iuuentutem.

De Cæna Domini vetus est Ecclesia quicquid
Cordis professa pio, continet hæc Methodus.
Quam studijs addicta bonis euolue Iuuentus,
Et verbo Domini gnauiter inuigila.
Hinc tibi non deerunt solatia Pneumatis almi,
Præmia Iustitiæ post obitumq; feres.

IOHANNES CANDIDVS

pio lectori, S. D.



QVOD Apostolus ad Hebræos ait: Doctrinis varijs ac peregrinis ne circumferamini: id omnes doctrinæ cœlestis professores

Hebræi. 13.

Deo duce, comite veritate, laudabiliter præstare possunt, qui cum vetusto scriptore Tertulliano statuunt, hanc regulam tenendam esse aduersus omnes hæreses: Rectum esse quodcunque primum est, adulterinum verò, quodcunque posterius. Et quidem vocat primum, quod Apostoli certò tradiderunt, sic enim ipse sese interpretatur. Allegat quoque authoritatem superiorum Irenæus contra Florinum, quod & Origenes facit, præcipuè vbi in sextum caput ad Romanos inquit: Ecclesias accepisse traditionem ab Apostolis, vt baptizentur infantes: Hi rectè allegant (sicut & alij complures) id quod primum est, cum authoritate Ecclesiæ, quam Paulus Apostolus columnam & stabilimentum veritatis appellat.

Contra
Praxeam.

1. Tim. 3.

Profiteor ergo, me illos in hoc li-
bello imitari, qui nec authores nec af-
fertoress vllius noui dogmatis esse vo-
lunt, & non habet Ecclesiæ veteris pro-
bata testimonia. Non enim contem-
nunt Ecclesiæ Catholicæ iudicium &
authoritatem. Quisquis porrò ab hac
Ecclesia fuerit separatus, quantum li-
bet laudabiliter se viuere existimet,
hoc solo scelere, quòd à Christi vnita-
te disunctus est, non habebit vitam,
sed ira Dei manet super eum. Quid ve-
rò hęc multis prædicem D. Athanasi-
um, qui apud Christianos est celeberrimus?
At is vbi vidit nos primiti-
uæ Ecclesiæ testimonijs iuuari, cum iu-
dex est verbū Dei, præfractis hæreticis
ita respondendū esse censuit: Ista ve-
stra non sunt Catholicæ Ecclesiæ, nec
Patres ista senserunt.

August. E-
pist. 153.

Ad Epictetum
Corinthium.

νεπιςτις
4.

His ita constitutis, Deo duce, comi-
te veritate, simpliciter affirmo, illum
sensum diuinæ scripturæ de Sacra-
mentis esse adferendum, & solum in
Ecclesia retinendū, quem primò cir-
cumstantiæ Scripturæ, deinde colla-
tio eiusdē, tertio analogia Sacramen-
torum,

torum, & quartò testimonia vetustorū Patrū confirmat. Hac ratione quidem nemo sanæ mentis verebitur doctrinis varijs ac peregrinis apud nos locum fore: & perspicuū erit, nobis id rectum esse, quodcūque primum est: adulterinum verò, quodcūque posterius.

Quòd igitur verba Domini in sacra Cœna, de fracto discipulisque dato pane dicentis: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, Spiritus & vita sint, hoc est, spiritualiter, non carnaliter, intelligenda sint, quemadmodum & illa de calice, quem gratijs actis dedit Discipulis dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus, qui est novi testamenti: facile patet ex circumstantijs Scripturæ, videlicet: hoc facite in mei commemorationem. Et quod Paulus ait: Quotescunque comederitis panem hunc, & de calice hoc bibèritis, mortem Domini annuntiate donec venerit.

Quare hinc ita ratiocinamur: Christus dat discipulis illum panem qui in mensa fuerat: Christus dum panem

dat, loquitur, dum hunc panem disci-
puli edunt, dentibus terunt, in stoma-
chum traiciunt, Christus ad mensam
erat, coram illum cernebant Aposto-
li, loquentemque & amantissime com-
mendentem audiebant. Non ergo ve-
rū & naturale corpus Christi sub dis-
cipulorum dentibus erat, ut impij Pa-
pistæ blasphemant: sed illic ubi Chri-
stum videbāt & audiebant. Nam si sub
dentibus, nō igitur ubi videbant: Sin
ubi videbant, non ergo sub dentibus,
aut in discipulorum corpore. Nam v-
trūvis affirmetur, alterū negandum
erit. Quòd si quis dicat utrobique fu-
isse, iā illud sequitur, aut Christo fuisse
duo corpora, aut duos Christos exti-
tisse, aut spectrū fuisse, quem se puta-
rent Christū cernere: sicque falsos es-
se discipulos. Quæ tã absurda sunt, at-
que à Christi natura aliena, ut animus
istorū commemoratione horrescat.
Iacent igitur Papistica portēta, seu po-
tius blasphemiae garrientiū, vnicum
Christi corpus esse in locis plus quàm
centū millibus, quotquot panes per
terrarū orbem franguntur, magnaque
illa

De consec.
Distinct. 2.
cap. Ego
Bereng.

Confess. de
Euch. Mag
deb. impres
fol. O. v.

illa crura & ossa ibi esse integrè con-
clusa, & mensæ Dominicæ conuiuas,
verum illud corpus atterere denti-
bus. O ingenia hominibus indigna.

Ioach.
Vest.

II.

Nunc sextū caput Ioannis (Ortho-
doxorum Patrum more) cum verbis.
Cœnæ Domini conferemus: quia
caro & sanguis, de quo Christus illic
differuit, eiusdem corporis caro & san-
guis est. Id autem fatemur, quòd in
sexto capite Ioannis, nulla fiat mētio
panis Sacramentalis, post cuius in cœ-
na fractionē Christus dixit: Hoc faci-
te. Afferimus autē quòd Christus fra-
cto pane suo, discipulisque dato, cum
diceret: Hoc est corpus meum, redege-
rit eis in memoriam hæc verba: Panis
quem ego dabo, caro mea est. Item:
Caro mea verè est cibus. Deinde cum
accepto calice discipulis diceret: Hic
est sanguis meus, &c. itidē afferimus,
quòd discipulos admonuerit horum
verborum: Sanguis meus verè est po-
tus. Vnde fideles discipuli cogitare
potuerunt: Hoc est nobis corpus Do-
mini, quod huiusmodi fractus come-
stusque panis, nempe verus cibus. Si-

Vide in-
frà. Num.
12.

militer: Hic est nobis sanguis Domini, quod huiusmodi calix seu fructus vitis haustus, nēpè verus potus. Ideo

In Psal. 98. Diuus Augustinus, quem Theologi omnib² (post Apostolos) Doctoribus
• praferunt, Christum inducit hæc verba loquentem: Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri sanguinē, quem fundent qui me crucifigent, Sacramentum aliquod commendavi vobis, spiritualiter intellectum viuificabit vos.

Spiritualis hīcedendi modus notatur: quia licet integrū maneat in cœlo Christi corpus, mirabili tamē & cœlesti virtute nos viuificat. Quare non alia de causa negat Augustinus dari in Cœna corpus illud, quod videbant discipuli, nisi vt sciamus, minimē carnalem esse communicationis modū: sed in mysterio nos fieri carnis & sanguinis participes, vt gratiam illā morsus nostri nōn consumant, vt alibi loquitur.

In Iohan.
Tractat. 27.
Cap. 6.

III.

De analogia Sacramentorū necessaria, satis docuit idē Augustinus, vbi ait: Si Sacramenta quandam similitudinem

dinem earum rerum, quarum sunt Sa-
cramenta, non haberent: omninò Sa-
cramenta non essent. Ex qua etiam si-
militudine, plerumque rerū ipsarum
nomina accipiunt. Sicut ergo secun-
dum quendam modum Sacramentum
corporis Christi, corpus Christi est:
sanguinis Sacramentum, sanguis est:
ita Sacramentum fidei, fides est. Ob-
serua hęc pie Lector, quid in his verbis
significet, **QVIDAM MODVS.**
Quid similitudo signi cum resignata,
ob quam nomen transfertur, & facile
nobiscum damnabis putidum illud
commentum, de carnali manducatio-
ne illa, cuius supra meminimus.

Diuus Hieronymus quoque, id bo-
num scribit, & vtile nobis esse, si cor-
pore Christi saturemur, & cruorem e-
ius potemus, non solum in mysterio,
sed in scripturæ sanctæ cognitione.
Vbi aperte ostendit, eundem cibum no-
bis offerri in Sacramentò, & in Scriptu-
rarum verbis. Atque vt sensus verbo-
rum Dei, per vim significationis sacris
litteris coniungitur, & animis nostris
reipsa cohæret: ita corpus & sanguis

Ad Boni-
fac. Episto.
23.

IIII.

In Ecclesia-
sten cap. 3.

Domini, significantur à Symbolis: sed animis nostris spiritualiter iunguntur. Summa huc spectat, vt corpus & sanguinem Christi intelligamus, non minùs per verba Dei, quàm per sacramēta nobis offerri. Scripsit idem Hieronymus ad Hedibiam, nos in Baptismo corpore & sanguine Christi vesci. Et Augustinus ait: Corporis & sanguinis Christi nos effici participes per Baptismum, etiam antequam panem Domini & calicem sumamus. De Consecrat. Dist. 4. cap. Nulli.

Habes igitur nunc pie Lector,
quod volebam te scire, prius
quam sequentia legeres.

His fruere, & vale

• felicitor. •

De Cœna

DE COENA DOMINI EXE-
gesis Methodica, per Iohannem Candi-
dum collecta.

Quid est Cœna Domini?



EST sacrum conuiuium à Chri-
sto Domino, ad sui memoriam
institutum, de cuius sanctificato
pane & calice, dum fideles edunt
ac bibunt, veri corporis & san-
guinis Christi sunt ita participes, vt Christus
uiuat in eis, & ipsi in Christo, bonisq; omnibus
in Euangelio promissis potiantur.

I.
Definitio.

Vnde probatur hæc definitio?

Ex historia Euangelica. Matth. 26. Mar.
14. Luca 22. Iohan. 6. 1. Cor. 10. & 11. Ad hæc
accidit notum illud in Ecclesia elogium Cœnæ
Dominicæ: O sacrum conuiuium, in quo Chri-
stus sumitur, Recolitur memoria passionis ei-
us, Mens impletur gratia, & futura gloria no-
bis pignus datur. At verò post Paulum Apo-
stolum, sibi liberum esse diuersis nominibus Cœ-
nam Dominicam appellare; veteres Christiani
haudquaquam dissimularunt, de quibus alio lo-
co dicemus. Porro sanctificatum panem & ca-
licem in Cœna, Tertullianus, Ambrosius, Au-
gustinus, Beda, Hilarius Papa & Bertramus
appella-

Probatio.

appellarunt corporis & sanguinis Christi figuram. Gregorius Nazian. τύπος σωτηρίας ἡμῶν .i. Typus salutis nostrae. Item, ἀντιτυπατικὴν σῶματ' καὶ αἷματ' κρείς, id est, exemplaria preciosi corporis & sanguinis Domini, quæ alij vocarunt etiam Sacramenta, Signa & Symbola. Item ab Augustino & Beda etiam dicitur Sacramentum panis & vini, quod tum Græci tum Latini propter ἐναλογίαρ inter signum & signatum, frequenter appellant corpus & sanguinẽ Domini, &c.

Quæ est causa efficiens?

II. Christum Dominum esse authorem Cœnæ suæ controuersia semper caruit.

Quæ causa impulsiva?

Non dubium est, quin Christum infirmitatem fidei nostræ longè maximam considerans, promissionem de applicatione remissionis peccatorum, hæc sacra Cœna voluerit quasi visibilem & sensibilem facere, ne dubitaremus nobis singulis totum Christum applicari & donari.

Materialis quæ?

III. Quia Paulus 1. Cor. 10. scribit, panem quem frangimus esse κοινωvίαρ corporis Domini, & ex contextu satis superq̄ liquet, quid sibi velit
νομετς

nomen *κοινωνίας*, ubi & eos qui sacrificant, dicit esse *Altaris κοινωνοὺς*, & fideles etiā *demoniorū κοινωνοὺς* fieri vetat, non aliunde melius potest intelligi, quomodo detur nobis Christi corpus, quā ex voce communicationis, nempe ut cum ipso coalescamus in unū, & in ipsum insiti, verē fruamur eius vita, quod naturaliter non fieri, sed arcana spiritus virtute, dilucidum ac certum est. Spiritualem ergo *Cœnæ* materiam, corpus ac sanguinem Christi esse proficemur: non secus ac terrestris materia est panis & vinum. Huic doctrinæ multa tum veterum, tum recentium Theologorum testimonia suffragantur.

Materialis
duplex.

Quæ causa formalis?

Causa formalis est mandatū, quo Christus ad sacri symboli participationē nos inuitat, promissione addita, dicens: *Accipite, edite, Hoc est corpus meum. Item, Bibite ex hoc omnes. Hic calix nouum testamentū est in meo sanguine, qui pro vobis effunditur, &c.* Huc pertinet quod omnium consensu verē & scitē *Diuus Augustinus* docet, tum demum ex elementis Sacramenta extare, cum verbum accedit, non quia profertur, sed quia creditur. Atque hanc esse causam, cur mundos pronunciet *Apostolos* Christus.

III.

Mandatū.

Id est, testimonium nouæ promissionis, videlicet remissionis peccatorū. *Philip. Melan. Sacramentum.*

Nunc

Nunc autē cuius rei dicimus hīc esse Sacra-
mentum (& quidem verum et efficacīe plenū)
panem & vinū? Certē veri illius corporis, quod
pro nobis est crucifixum, et veri illius sangui-
nis, qui pro nobis est effusus. Quid nobis à Do-
minō offerri in Cœna dicimus? Certē illa ipsa.
Quid docemus in Cœna per fidem verē percipi?
Eadē illa profectō in vitā aeternam. Neq; enim
putam⁹ nos posse donorū et virtutis Christi par-
ticipes fieri, nisi ipsum in primis possideamus.

Ac offerri quidem indifferenter tam malis
quā bonis Christi corpus & sanguinem profi-
temur, quia ab hominis dignitate non pendet
Christi vel liberalitas vel fides, sed in ipso funda-
ta est. Qualiscunque igitur sit qui accedit, quia
sui perpetuō similis manet Christus, verē ad
corporis ac sanguinis sui participationem in-
uitat, per ministerium Ecclesie sue.

Appendix, seu præcedentiū Analysis.

Señac duo longē inter se differunt, fidem
Domino constare, ad præstandū quod signo de-
monstrat, & hominē, vt fruatur oblata gratia
locum promissioni dare: quia vt quis recipiat
quod offertur, antē capace[m] esse oportet, sicuti
scriptū est: *Aperi os tuum, & implebo illud.*

Psal. 81.

Apoc. 3.

Item: *Si quis audierit vocem meam, & aperue-*

rit

in ianuam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum.

Quod si quis omnibus uerborum veri corporis & sanguinis Christi communem facere uelit, præterquam quod Scripturæ testimonijs refellitur tale cōmentū, experientia etiā reclamatur. Ergo sicuti per se externa vox hominis in corda minimè penetrat, sed ex multis auditoribus soli ad Christum ueniunt, qui trahuntur intus à Patre, iuxta illud Esaiæ: non alios prædicationi credere, nisi quibus reuelatum est Dei brachium: ita penes liberum & gratuitum eiusdem Dei arbitrium est, dare quibus uoluerit, ut in signorum usu proficiant. Quis enim dicat materiam uerbi, id est, Christum in uerbo oblatum, ab incredulis percipi? aut si malumus ipsis Christi uerbis uti, quis dicat carnem & sanguinem Christi in uerbo oblatam, ab incredulis edi & bibi, ac non potius uisui? Neque enim utitur Christus bimembri oratione: Quisquis per fidem ederit carnem meam & biberit sanguinem meum, uiuet in æternum: Quisquis autem ederit quidem aut biberit, sed non ex fide, morietur in æternum: sed prius illud unum ubiq; inculcatur. Nam caro Christi sicut sumpta, necessario uiuificat: ita etiam reiecta, necessario occidit. Vita igitur ex

ὁμοίωσις.

Iohān. 6.
Esa. 53.

ἀτομία.

Sic docuit Dominus, sic Orthodoxi Patres Græci & Latini.

illa

illa promanat : mors autem ex illius contem-
 ptu. Proinde si quis roget, quid in Cæna Domi-
 nica offeratur infidelibus? Dicemus verū cor-
 pus & panem, verum sanguinem et vinum: illa
 quidē spiritualiter per fidem, ista verō naturali
 modo sumenda. Quid ab ijs sumatur? Panem
 & vinum respondebimus. Quid contemna-
 tur? Verū corpus & sanguinē Domini in pri-
 mis excipiemus, quæ incredulitas percipere nō
 potest, vt nec ipsorum uirtutē & efficaciam.
 Deinde etiam dicemus ab infidelibus contemni
 sanctificatum panē & vinum, quæ vt corporis
 & sanguinis Domini symbola fuerant ipsis ob-
 lata. Ex hoc autem duplici contemptu, ac non
 ex ipsa Christi carne vel sanguine, manare dici-
 mus æternæ mortis reatū. Sicuti teste Apōsto-
 lo sanguinem Christi conculcat Euangelijs con-
 temptor, nō alia ratione, nisi quia voce sua Chri-
 stus nos ad veram sui participationem inuitat.
 Quid enim hoc sibi vult, quod Augustinus dicit
 eos qui sunt in ipso Christi corpore, nō solum Sa-
 cramento, sed re ipsa sumere Christi corpus: nisi
 quod palam ostenditur, dupliciter sumi Christi
 corpus, Sacramento duntaxat, & re ipsa? Si tol-
 litur rei veritas, certē præter signum nihil resi-
 duū manet. Vnde etiam haud dubiè colligitur,
 nō aliter comedere impios Christi corpus, quàm
 signi

159
 24.
 Heb. 10.

De Cipit.
 Dei, lib. 21.
 cap. 20.

Dupliciter
 sumi.

Notate.

signi respectu. Citandis in hanc sententiam pluribus orthodoxorum Patrum testimonijs alibi locuserit. Fatemur ergo in summa verã carnis & sanguinis Christi communicatione (vt iam iterum atq; iterum testati sumus) proponi in sacra Cœna, fieriq; arcana & incomprehensibili spiritus virtute, vt Christus verè carnis & sanguinis sui substantia, animas fidelium è cœlo pascat, & panem & vinum vera esse pignora rerum cœlestium, quas figurant: quia quicquid ex Christi mandato promittit Minister, ab ipso authore impletur.

Qui effectus?

Porro verus ex verbis Christi fructus nobis provenit in sacra Cœna, quando hunc sensum in cordibus nostris obtinent: Panis hic ideo corpus meum est, & calix est sanguis, quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Hac enim perfectio ac nostra felicitatis cumulus est, vt Christus per fidem in cordibus habitans, non modo honorum omnium quibus donatus est à Patre, consortes ac socios faciat: sed vitam quoq; suam inspiret, adeoq; vnũ nobiscum fiat. Ultra hanc metã progredi cum nefas sit, simpliciter docemus: Christum quatenus homo factus est, esse è ossibus nostris &

B

carne

V.

Ephē. 3.

Iohā. 15.

17.

Ephē. 5.

carne nostra: quatenus autem nos viuificat,
impleri illud Pauli, vt simus ex carne eius &
ex ossibus eius.

Quæ causa finalis?

VI.

Est gratiarum actio pro Filij Dei missio-
ne, pro assumptione humana natura, pro ipsius
passione, pro redemptione, pro donatione Euan-
gelij, pro viuificatione, quæ fit per ipsum &
Spiritum sanctum, pro restitutione vitæ ater-
nae, pro collectione Ecclesie, deniq; pro omni-
bus beneficijs. Vtrumq; complectitur Domi-
nus, videlicet, confirmationem fidei, & gratia-
rum actionem, cum inquit: Hoc facite in mei
recordationem. Quia recordatio non simulata
est, in vera conuersione petere & credere re-
missionem propter Mediatorem, & hac fide
erigi & viuificari per eum. Ideo vetustas vsa
est nomine ευχαριστιας, Basiliius etiam voce
ἀναμνηστικῆς, id est, commemorationis, alij ve-
rò appellatione συνάξεως, quia Deus vult pu-
blicos esse Ecclesie congressus honestos, & eos
immensa bonitate seruat, & hanc ceremoniam
vult esse neruum publicæ congregationis.

Cor contri-
rum & hu-
miliatum,
Psalm. 50.

1. Iohan. 1.

Facemur quoq; & agnoscimus Christiano-
rum societate sue cœtum etiam esse quandam
κοινωνίαν, qua inter se quàm arctissime con-
iunguntur

unguntur in eodē corpore, ut membra sub ca-
pite Christo, quia omnes corpore & sanguine
Christi redempti sunt, quod communicando in
Sacramentis fide percipiunt ac faciunt. Est
igitur & hic finis Cœnæ Dominicæ, ut inter
nos cohæreamus, vnumq̄ corpus efficiamur in
Christo. Hinc Paulus Apostolus ait: Vnus pa- 1. Cor. 10.
nis, vnū corpus multi sumus: nam omnes ex eo
dem pane participamus. Quotiescunq̄ igitur
Sacramentum sumimus, reuera nos eius Ec-
clesiæ doctrinam approbare ostendimus, &
velle membrū eius esse cœtus, cum quo agnum
Dei edimus.

Quæ contraria Cœnæ Domini?

Ea primū perstringemus vocabulo sacri VII.
ficij, quo quidem Veteres vtuntur: verū si-
mul exponunt se aliud nihil intelligere, quā
memoriam veri illius & vnici sacrificij, quod
in cruce pēgit Christus, vnicus, vni ipsi passim
prædicant, noster Sacerdos. Hebræi, inquit
Augustinus, in victimis pecudum, quas offere- Lib. con-
bant Deo, Prophetiam celebrabāt futuræ vi- tra Faustū
ctimæ, quam Christus obtulit: Christiani iam cap. 18.
peracti Sacrificij memoriam celebrant sacro-
sancta oblatione & participatione corporis
Christi. Passim verò testatur idē Augustinus, Contra ad
uersarium
legis sa-
pius.

non alia ratione voca. Cœnam Domini Sa-

Chryf. in
cap. 9. Epi.
ad Hebræ.

Lib. 3. con-
tra Parric.

cap. 8. Vi-
deatur 10.
cap. ad He-

bræ. Vni-
ca oblat. I-
tem: Semel

in confu-
ma. Et rur-
sus: Hac vō

Juntate san-
cta, &c.

crificium, nisi quod est memoria, imago, testi-
monium illius singularis, veri & vnici Sacri-
ficij, quo nos Christus expiauit.

In eundem quoq. sensum loquitur Chrysof.

Honorē verò sacerdotij ita Christo vindicant,
vt Antichristi vocem fore testetur Augusti-
nus, si quis Episcopum inter Deum & homines
intercessorem faciat. Vnde consequitur, sceler-
ratissimum probrum & non ferendā esse blas-
phemiam tam in Christum quàm in sacrificiū,
quo per mortem suam in cruce pro nobis defun-
ctus est: si quis, repetita oblatione, de redimen-
da peccatorum venia, de propitiando Deo, &
obtinenda iustitia cogitet. At quid aliud mis-
sando apud Papistas agitur, nisi vt nouæ oblati-
onis merito, passionis Christi fiam⁹ participes?

Heu quot
habet Iu-
das scelera-
tus apostata
fratres.

Et ne vllus esset insaniendi modus, parum
esse putarunt, si dicerent commune ex aequo
fieri sacrificium pro tota Ecclesia, nisi adde-
rent, sui arbitrij esse, huic aut illi, cui vellent,
peculiariter applicare, vel potius cuiuscunq., qui
talem sibi mercem numerato precio emere vel-
let. Quia verò scelerati homines illi multis Li-
bris admoniti & conuicti, adhuc obstinata ma-
licia diuine Veritati repugnant, suo iudici re-
linquantur.

Transub-

Transubstantiationis vocabulum seu potius commentum, quod ipsi pro cœlesti oraculo adorant, simpliciter dicimus fabricatum fuisse à Sophistis, qui nihil tenebant purioris Theologiae. Cum autem antehac à viris doctissimis refutata sit Transubstantiatio rationibus satis validis, vna hæc iam nobis abundè sufficiat: prorsus ex Ecclesia tam detestabile commentum explodendum esse, quo evertitur analogia signi & rei signatae. Nisi enim in Sacramento visibile & terrenum signum dono spirituali respondeat, concidit natura Sacramenti.

Multa sunt ac fiunt præterea in regno Antichristi Cœna Dominica contraria, in ær qua non minimum est sacrilegium illud, de adempto laicis sacro calice. Sed hæc & alia studio breuitatis omittenda esse duximus, contenti hoc argumento:

Quicumq; contra mandatum diuinum aliquid instituunt, horribiliter peccant, iuxta illud: Galat. 6.
Si quis aliud Euangelium docuerit, &c.

Papista autem, prohibentes alteram partem Sacramenti, haud dubiè pugnant cum mandato diuino: Sunt enim verba mandantis & disponentis: Accipite, bibite. Item, Probet seipsum homo, & sic de hoc pane edat, & de hoc calice bibat.

1. Cor. 1.

Papistæ igitur prohibentes alteram partem Sacramenti, horribiliter peccant, & contumeliosi sunt aduersus Christum Dei potentiam, Deiq; sapientiam.

A CONIVGATIS SEV CASV.

VIII.

Quia Sacramentum instituit Christus, sacramentaliter debere exponi eius verba dicimus, pro communi Scripturæ more. Nam Sacramentis omnibus hæc quasi perpetua regula est, vt signum rei signatæ nomen accipiat. Item, Christus multa disseñens de manducatione carnis suæ, hæc subiungit: Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita sunt. Verba e Spiritum negabunt Papistæ vocari, quia sunt spiritualia? Hoc autem concessio, inferre promptum erit, eiusdem quoq; naturæ esse manducationem de qua loquitur. Accedit huic illationi Diuus Augustinus, hoc modo: Vita vnicuiq; erit corpus & sanguis Christi, (sic appellat panem & calicẽ Domini) si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Audiuius enim ipsum Dominum dicentem: Spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quicquam. Verba quæ loquutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.

August. de
verbis A.
post. Serm.
2.

Johan. 6.

August. in
Johan.
Tract. 27.

Quid est, Spiritus & vita sunt? Spiritua-
liter

liter intelligenda sunt. Intellexisti spirituali-
ter? Spiritus & vitæ sunt. Intellexisti carna-
liter? Etiam sic illa Spiritus & vitæ sunt, sed
tibi non sunt, Hæc ille.

A contradictione & Absurdo?

Commentator Auerrôis (qui aliquamdiu
vixit post Nicolaum secundum, impiæ illius
Palinodia, quam recitare coactus est Beren-
garius, authorem) contumelia religionē Chri-
stianam affecit, ita inquit: Omnes regiones
circiui, & Christiana deteriore nullam in-
ueni, quia quem Deum colunt, dentibus deuo-
rant. Mentitur iste impius, sicut & Nicolaus
secundus cum sua caterua impiè mentitus est.
Nā probatissimi Doctores Ecclesiæ, planè con-
traria docuerunt huic blasphemiam. Sic enim Cy-
rillus ait: Num hominis comeditionem (ἀνορθω-
σοφάγיא) nostrum hoc Sacramentum pro-
nuntias, & irreligiosè ad crassas cogitationes
eorum, qui crediderunt, mentem, & attentas
humanis cogitationibus tractar, quæ sola, pu-
ra & inexquisita fide capiuntur? Christum fas
vorari dentibus non est, inquit Augustinus.
Et alibi protulit hæc verba: Nolite parare fau-
ces, sed cor: inde comedenda est ista Coena, ecce cre-
dim⁹ in Christū quū fide accipim⁹: in accipiēdo
nouimus quid cogitemus: modicum accipimus

IX.

Cyrl. lib.
ad Euo-
ptium, A-
nathematif
mo. ii.

De consec.
dist. 2. cap.
Vtrum.
Idē de ver-
bis Aposto-
li, Sermo.
ne 33.

Hieron. in
Leuit. & re
peritur de
Confe:
Dist. 2. cap.
De hac,

& in corde saginamur. Non ergo quod vide-
tur, sed quod creditur pascit.

De hac quidem hostia quae in Christi com-
memoratione mirabiliter fit, edere licet: de il-
la verò quam Christus in Ara crucis obtulit,
secundū se nulli edere licet, ut inquit D. Hie-
ronymus.

Athana. de
verbis Eu-
an. Qui
cunque di-
xerit verbū
aduers. fil.
hom.

Hac de causa (Christus) meminit ascensio-
nis in caelum filij hominis, ut corporale cogni-
tionem ab illis auelleret, & posthac discerent
carnem, de qua fuerat loquutus, cibum è super-
nis caelestem, spiritualem alimoniam ab ipso
dari. Hæc magnus ille Doctor Ecclesiae Atha-
nasiaus.

Nos igitur in Sacramento Cœnæ Christum
non nisi spiritualiter manducari asserimus,
quia ab illa crassa ingluvie, quam commentis
sunt Papista, & uig. satellites eorum nimis cu-
pide ab illis hauriunt, pietatis abhorret sensus.

Inuersio.

X. Christum esse fatemur, qui nobis reuelat res
incognitas, Cur ergo Papista reuelationibus e-
ius obducunt tenebras? De Christo fatemur,
Patrem è caelo præcipere, ut eum omnes audi-
ant, Cur ergo tumultuose obstrependo nulla
verborū eius interpretatio admittitur? Chri-
sto fatemur nihil esse impossibile, Cur ergo non
credunt

credunt ipsi, quamuis in cælo sit, posse tamē admirabili Spiritus sui virtute carnem suam & sanguinē dare nobis in spirituale alimentum? Hæc certē non est humana rationis mensura, vbi spiritualis veritas totum naturæ ordinem superare dicitur.

A Signis.

Quum ex veteribus quidam liberè docuerint Christum dixisse: Hoc est corpus meum, quum signum daret corporis sui. Item, Panem esse Christi corpus, quia Sacramentū quodammodo censetur res ipsa: alij docuerint verum fuisse Christi corpus, cuius signum in Cæna tradidit: alij panem vocauerint oppositū typum corpori, haud quaquā probabile est, tunc grasatum fuisse errorem de corporali sub pane præsentia, quia statim mota fuisse contentio.

XI.
Augustin. contra Adimant. cap. 12.
Idem ad Bonifa. Epist. 23.
Chrysof. hom. in Matth. 83.
Ambrosius. Basil. Grego. Nazian.

Ab Antecedentibus & Consequentibus.

Quòd Apostoli non rogarint Christum de Tropo seu figurata locutione in verbis Cænae, duas ex Chrysofomo causas licet cognoscere: Vnam, quòd antea ex concione illa in Capernaum habita satis fuerant edocti, spiritualia hæc esse: alteram, quòd non multum turbari

XII.
Chryso. in Matth. Hom. 83.

& obstupescere potuerint, quū Dominū ipsū
viderent ante alios omnes edere & bibere eun-
dem potum & cibum. Itaq; non potuerunt non
mysterium intelligere, quum nemo seipsum cor-
poraliter edat aut bibat.

Similia vel Paria.

XIII.
Orige. su-
per Leuit.
Hom. 11.
Augu. lib.
3. De doct.
Christ.
cap. 16.
Iohan. 6.

Si in Christi sermone, vbi carnem suam ede-
re, & sanguinem bibere iubet, figurata est lo-
cutio, quod verustissimorum Ecclesiæ Christi
Doctorum consensus palam demonstrat: ea-
dē & sacræ Cœnæ ratio conuenit. Et si autē ex-
tra Sacramenti vsum spiritualiter Christo cō-
municant fideles, apertē tamē testamur, Chri-
stum qui Cœnam instituit, efficaciter per eam
operari. Quando igitur illud Augustini liben-
ter nos amplecti omnes profiteamur: Sacramen-
tum scilicet quasi visibile esse verbum, sine con-
trouersia agnoscimus, vtrōq; simul adminicu-
lo salutem nostram promoueri, & eodē in gra-
du locanda esse Sacramenta, quo Verbum. Qua-
re sicuti Euangelium vocatur Potentia Dei
in salutem omni credenti, idem elogium ad Sa-
cramenta transferre non dubitamus.

Tract. 80.
in Iohan.
& contra
Euast. lib.
19.

Rom. 1.

παράβολα.

XIII.
Luc. 22.

Ut Dominus noster Iesus Christus inquit:
Desiderio desideravi hoc Pascha manducare
vobiscum,

vobiscum, cupiens videlicet iam exhibere pignora sui amoris erga nos, & futurus victima pro nobis: ita nos ingenti desiderio accipiamus oblatum beneficium, & huius beneficii Sacramentum.

Adiuncta.

Partes autem alendi cur carni suæ & sanguini Christus vendicet, minimè obscurū est, nempè vt sciremus non alibi quàm in sacrificio, quo Patrem nobis placavit, quærendam nobis esse vitam.

XV.

Comparatio.

Vtri de Christo magis honorificè loquuntur ac sentiunt, nōsne, qui fide omnia impedimenta transcendimus, vt certò statuamus cœlesti Christi potentia vitam ex eius carne in animas nostras defluere: an Papsi & noui satellites eorum, quibus viuifica non est Christi caro, nisi quatenus in os & ventrem ingeritur? O scelus, ô rabies. Videant isti, secundum quos frangitur corpus Christi glorificatum, sensualiter palpatur, & dentibus atteritur, quomodo se à Capernaitis explicent.

XVI.

Sursum
corda.

De conf.
dist. 2. cap.
Ego Berē.

Ab Absurdo.

Hac

Huc pertinet quod legitur in libro, cui titulus est: Tractatus de administratione Sacramenti Eucharistiae, & de celebratione Missae ex Canonibus & probatis authoribus, &c. Dillingae, anno salutis 1559. impressus, & per Cardinalem Augustanum suis Parochis elogio pie doctrinae commendatus, Quaternione Y. 4. Quid agendum, si quis post sumptionem corporis Christi statim patiatur vomitum? Solutio. Reuerenter recolligantur species panis, si discerni possunt, & reponantur in sacrario: vel sumantur ab aliquo, si saltem sit aliquis ad sumendum dispositus absq; nausea, et ea, in quibus inuenta fuerint species, comburantur, & cineres in sacrario recondantur. Quid agendum si quis post sumptionem ex infirmitate statim emittat per secessum quod sumpsit? Recolligantur species, & fiat sicut in casu praecedentis dubij.

Hæc verba, quid continent? quid significant? Nihil certè aliud, quàm prædictum illum detestabilem errorem Papistarum, secundum quos frangitur corpus Christi glorificatum, sensualiter palpatur, & dentibus atteritur. O cur uæ in terras animæ & cœlestium inanes. Quid frustula per vomitum & secessum eiecta facient in sacrario? Nimirum à prætereunte populo

pulo (vt moris est apud Papistas) illic adorabuntur. En quò peruenimus cui. Quid est ignominia Deum & homines afficere, si hoc non est?

A CONNEXIS ET AD- IUNCTIS.

Certum est probatissimum (post Aposto-
los) Ecclesie Doctore Augustinum plane as-
serere, quatenus homo est Christus, in caelo es-
se, vnde ultimo die venturus est. Secundam
naturam humanam non esse ubiq; diffusum:
quia carni suae immortalitatē dedit, naturam
non abstulit. Cauendum igitur esse, ne hominis
diuinitatem ita astruamus, ut veritatem cor-
poris auferamus. Si tollamus spatia locorum
corporibus, nusquam fore. Christū igitur ubiq;
presentem esse tanquam Deum. in loco aliquo
caeli, propter veri corporis modum. Haec est fi-
des & confessio Catholica (vt inquit Diuus Vi-
gilius Martyr) quam Apostoli tradiderunt,
Martyres roborauerunt, & fideles nunc vsq;
custodiunt. Quisquis igitur hanc fidem & con-
fessionem Catholicam pestiferis logis suis oppu-
gnat, se caecum & impium Wateronem esse de-
monstrat.

XVIII.
Ad Dard.
Epist. 57.

Aduersus
Eutichen.

A Compa-

A Comparatione.

XIX.

Dum à similitudine colligimus finitum esse Christi corpus, neq; aliter quàm nostra suis constare dimensionibus, præstantiæ dotes quibus ornatum fuit non attingimus: sed tantum everti spem futuræ resurrectionis ostendimus, nisi in Christi carne refulgeat exemplar, quia non alibi fundata est, quàm in societate membrorum cum capite suo. Nihil hîc nostrum ingerimus, sed tantum expendi petimus, quid doceat Paulus 1. ad Corinth. 15. cap. Sententiam quoq; ex 3. cap. ad Philip. minimè ambiguam proferimus: Expectari Christum è cælo redemptorem, qui corpus nostrum abiectum configurabit corpori suo glorioso. Quisquis nos ubiq; post resurrectionem fore probabit: is hanc comparationem oppugnet. Satis dictum est pie doctis Lectoribus.

1. Cor. 15.

Ad Phil. 3.

Enthymema è Con-

nexis.

XX.

Si perpetuò verum est quod tradit Augustinus, absq; loci spatio nullum fore Christi corpus, ideoq; cælo comprehendi propter veri corporis modum: certè non occupabit mille

in mille loca in terris • ac multò minùs sine ali-
qua locorum circumferentia ubiq̃, erit. Abe-
ant igitur quo digni sunt, cum pestifero delirio
Vbiquitatis suæ cæci Papistæ.

Ab Absurdo $\omega\alpha\gamma\alpha-$
 $\epsilon\omicron\lambda\acute{\eta}$.

Obtendunt Papistæ omnipotentiam Dei, XXI.
& ludicris argumentis agere non verentur
in re tam ardua. Nam subinde à possibili
arguunt ad inesse (ut Dialectici loquuntur)
quod virtuosissimum est. Deus, inquit, po-
test talia miracula facere, igitur & ma-
iora facit. Quod perinde est, ac si quis
mundum ab æterno creatum probare vel-
let, quia æterna fuit D E I potentia, vel,
eundem solem simul posse lucidum esse & ob-
scurum: quia Deus potest omnia. Nos au-
tem sic ratiocinamur: Quia D E V S quæ-
cunq̃, vult facit, non separanda est eius po-
tentia à voluntate. Ergo stultè, importunè, Psalm. 117.
& præposterè disputatur quid possit, nisi ac- & 134.
cedat eius voluntas. • Iam quum nusquam
ostenderit verum & naturale corpus Filij
sui se velle facere immensum. præposterè sunt
ac peruersè potentia eius præcones, quicunq̃, ex
immensa

*immensa Dei potentia, carnis immensitatem
in Christo probare contendunt.*

A testimonijs primitivæ Ecclesiæ.

XXII.

In Apolo-
ge. cap. 10.

Act. 15.

*Tertullianus commemorat Ethnicos infa-
mauisse mysteria Christianorum, quasi hi in i-
stis, ut Thyestæa Cœna, veram carnem huma-
nam devorarent, verumq; potarent sangui-
nem. Contra hos differens inter alia, Porrò
quale est, inquit, ut quos sanguine pecoris hor-
rere (etenim tunc adhuc secundum Apostoli-
cum decretum, à suffocato & sanguine abstinere
Christiani) conspiciatis, humano inhiare
credatis. Et iterum: Erubescat error vester
Christianos, qui ne animalium quidem sangui-
nem in epulis osculentis habemus, qui prop-
terea quoq; suffocatis & morticinjs abstinere
mus, ne quo sanguine contaminemur, vel intra
viscera sepulchro. Hæc ille. Nihil autem mirum
est ita iudicasse crassos & spiritu Dei vacuos
gentiles, utpote qui mystica verba & Sacra-
mentales locutiones, quas audiebant, carnali-
ter, non spiritualiter interpretabantur. Enim
verò cum Græci, Christianorum prima in-
stitutione instructorum, quos Cathetumenos
vocant, servos comprehendissent, eosq; coge-
rent, ut arcani aliquid de Christianis proderet,
servus*

serui hi cum nescirent quid iucundi ipsis pos-
 sent referre, quantum ab heris suis audiueraut,
 corpus scilicet & sanguinē Christi esse, quod in
 sacra mensa sumeretur, id reuera ipsi carnem
 & sanguinem esse existimantes, inquirentibus
 euulgarunt. Ipsi verò id certò fieri à Christia-
 nis rati, in reliquos Græcos diffamarunt, &
 Sanctum & Blandinam confiteri fidem tor-
 mentis coegerunt. Quibus Blandina sumpta
 fiducia opportunè dixit: Quo pacto facere hoc
 Christiani paterentur, qui ne concessis quidem
 carnibus, exercitationis & continentie causa
 frui volūt? Hæc Oecumenius ex monumentis
 Irenæi Episcopi & Martyris, qui vixit ante
 annos mille trecentos et septuaginta. Videmus
 igitur quàm verè ac pie probat Simi Doctores
 Ecclesie testati sint: Christum fas vorari den-
 tibus non esse, nec Sacramentum fidelium re-
 quirete ἀυθγωσωφραγίαρ, qualem in officina
 Antichristi per impios Sophistas Diabolus fa-
 bricauit.

In enarra-
 tione 1. Epi-
 pist. Pet.

A Connexis & Adiunctis, & autho-
 ritate Scriptura.

Occlamant identidem, quòd dextera Dei, **XXIII.**
 in qua sedet Christus, vbiq̄ sit. Quasi negemus
 Christum Mediatorē Dei & hominum omnia
 C ineffabili

Act. 3. ineffabili modo implere, ut totus ubiq; sit: &
 tamen secundum carnem in cælo sedem occu-
 pet, quod (teste Scriptura) eum capit, donec in
 προναιά
 2. Cor. 3. iudicium appareat. Neq; tamen est cur nos
 2. Cor. 3. ideo quisquam invidia grauet, ac si abesse à no-
 bis fingamus, membraq; separemus à capite.
 Certè si Paulo dicere licuit, nos à Domino pe-
 regrinari, quàm diu sumus in mundo: eadem
 Iohan. 14. quoq; ratione dicemus quadam absentia specie
 1. Cor. 6. nos ab eo disjungi, quatenus scilicet à cælesti e-
 Ephes. 3. inus domicilio distamus. Absc̄ igitur Christus
 Ex Hom. à nobis secundum corpus: Spiritu autem suo
 quadam in nobis habitans, in cælum ita nos attollit, ut
 Chris. de S. Spiritu. viuificum carnis suæ vigorem in nos trans-
 fundat, non secus ac vitali Solis calore per ra-
 dios vegetamus.

AB AUTHORITY
 SCRIPTURÆ.

XXI III. Omnis qui transgreditur & non manet
 Iohan. E. in doctrina Christi, Deum non habet. Quid
 pist. 2. est autem non habere Deum? Certè nihil ali-
 1. Reg. 28. ud, quàm quod olim dixit crudelissimus ille
 Saulus: Deus recessit à me. Et Salomon in Pro-
 Pre. 15. uerbis: Longè est Dominus ab impijs. Qui-
 1. Iohan. 1. cunq; igitur dicunt quòd homines in doctrina
 Christi non manentes, id est, impij ambulantes in

tes in tenebris non videntur, & non habent cum Deo,
prorsum contra Canonicam veteris & noui
Testamenti scripturam mentiuntur, nec ve-
rum faciunt. Hoc iacto immobili fundamen-
to, simpliciter dicimus solos pios, id est, fideles,
Christi Domini Deiq; nostri & spiritualium
eius bonorum esse participes.

A Contrario sensu.

Christus ipse dicens: Qui manducat carnem
meam, & bibit sanguinem meum, in me manet,
& ego in eo, ostendit quid sit non Sacramento
tenus, sed reuera corpus Christi manducare, &
eius sanguinem bibere: Hoc est enim in Chri-
sto manere, vt in illo maneat & Christus. Sic
enim hoc dixit tanquam diceret: Qui non ma-
net in me, & in quo ego non maneo, non se di-
cat apud existimet manducare corpus meum.
Hoc stimulo si non punguntur Papistæ, stupi-
diores sunt asinis suis.

XXV.
August.
lib. de Ci-
uit. Dei 21.
cap. 25.

Ab Impossible.

Verbum factum est caro, verusq; cibus,
quæ qui comederit, omnino viuet in æternum,
quem nullus malus potest edere. Etenim si
fieri possit, vt qui malus adhuc perseueret, edat
Verbum factum carnem, quum sit Verbum &
panis

XXVI.
Origen. in
Matth.
cap. 15.

panis viuus, nequaquam scriptum fuisse:
Quisquis ederic panem hunc viuet in eter-
num.

Eadem ratione qua volunt Papista obti-
nere Christi corpus ab omnibus qualescunq;
sint, in sacra Coena substantialiter comedi,
quod horribile est auditu: obtinebant etiam
quoslibet ex calice bibendo, nouum Testamen-
tum recipere, id est, remissionem peccatorum,
iustitiam & vitam aeternam: Atq; ita plane
sequetur vere & spiritualiter Christo commu-
nicare, quicunq; ad mensam eius accedunt,
quod prorsum est impossibile. O caecos homi-
nes qui non vident quam sit miserabilis animae
seruitus, signa pro rebus accipere (vt inquit
Augustinus) & supra creaturam corpoream
oculum mentis ad hauriendum aeternum lu-
men leuare non posse. De doct. Christi. lib. 3.
cap. 5.

• Appendix, seu praecedentium
Analysis.

Quicunq; possunt esse capaces veri corporis
& sanguinis Christi, sunt & capaces Spiritus
Christi.

Sed impij, est, qui fide & poenitentia sunt
vacui, non sunt capaces Spiritus Christi.

Ergo

Ergo tales non possunt esse capaces veri corporis & sanguinis Christi.

Maiorem probamus.

Corpus & sanguis Christi auelli ab ipsius Spiritu non possunt, dicente Paulo ad Romanos 6. Christus excitatus à mortuis, non amplius moritur, mors illi non amplius dominabitur.

Ergo qui Spiritum Christi accipere non possunt, nec veri corporis & sanguinis ipsius capaces esse poterunt.

Minorem probamus.

Paulo Apostolo hæc sunt correlatiua, Spiritum Christi habere, esse Christi, aut filium Dei. Dicit enim Rom. 8. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et rursus: Quicumq; Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.

Iam impij, nec sunt CHRISTI, nec filij DEI.

Ergo nec Spiritum Christi habent, à quo
C 3 *alieni*

Matth. 8.

alieni sunt & viuentes mortui, sicut scriptum est: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.

Superest igitur, ut nec verum corpus, nec sanguinem Christi percipere possint impij.

Disparata.

Huc pertinet locus ille Diui Augustini,
XXVII. vbi docet Iudam proditorem comedisse panem
Tract. in Domini, cum alij comederent panem Domini.
Iohan. 6. Unde sic ratiocinamur: Si à reliquis discipulis
cap. 13. hac nota discernitur Iudas, quod non comederit panem Dominum, sequitur nihil præter nudum symbolum sumpsisse. Aliud igitur est manducare panem Dominum, aliud verò manducare panem Domini. Panis Dominus dat vitam mundo, Nam qui ederit hunc panem, viuet in æternum. Editur autem animo & religiosa fide. At panis Domini corporeo editur ore, à bonis ad salutem, à malis ad exitium. Rectè ergo de pane Domini dixit Chrysostomus: Antequam sanctificetur panis, panem nominamus, diuina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, etiam si natura panis in ipso permansit, et non duo corpora, sed vnum filij corpus prædicatur. Hinc Origenes ait: Cum suscipitur corpus Domini,
cum

Ad Casa.
Monachū.

In Exod.
Hom. 13.

cum omni cautela & veneratione seruatīs, ne
ex eo parum quid decidat, ne consecrati mune- De Con.
ris aliquid dilabatur: Et Augustinus: Quan- dist. 2. cap.
ta, inquit, sollicitudine obseruamus quando no- Interrog.
bis corpus Christi ministratur, vt nihil ex ipso vas.
de nostris manibus in terram cadat, &c. Se-
quitur hinc argumentum.

Quod hominis negligentia cadere potest
in terram, non est naturale aut reale corpus
Christi. Nam id cum versaretur adhuc in ter-
ris mortale, non fuit ita hominum negligentia
obnoxium, vt eorundem incuria subinde in
terram caderet, multò igitur minus nunc glo-
rificatum.

Sed Sacramentum, hominis negligentia in-
terram cadere potest.

Ergo Sacramentum non est reale & natu- In ferm. de
rale corpus Christi: sed propter analogiam & Christa.
conuenientiam inter Sacramentum & rem
Sacramenti sic appellatum est. Quamobrem
Diuus Cyprianus dixit, significantia & signi- Ad Boni-
ficata iisdem vocabulis censerī, & hinc facile fac. Epist.
intelligitur modus ille, secundum quem Sacra- 23.
mentum corporis Christi, corpus Christi est,
vt inquit Augustinus. Hoc loco etiam con-
stanter asserimus, quoties à Patribus panis
& vinum vocantur signa, symbola, & Sacra-
menta

menta corporis & sanguinis, satis explicari
 Acque figurata est eorum mentem; quia hinc luculenta colligitur
 hæc loquendi forma: inter signum & rem signatam distinctio. Pro-
 Agnus est transiens, inde si centies legerimus, indignos etiam cor-
 Circumcisio est fœdus meum, pus & sanguinem Domini accipere, semper ex-
 Petra erat Christus: ripiemus, id fieri duntaxat sacramentaliter,
 atque ista, • visibiliter seu Sacramento tenus, ut Patres
 Hoc est corpus meum. loquuntur.

Antithesis.

• XXVIII. • Quum profiteamur sic nobis in sacra Cœna
 communicari Christum, ut modus sit incom-
 prehensibilis, ideoq; mysterium hoc, quod sen-
 sus nostros longè superat, nobis esse adoran-
 dum: quid sibi vult canina ista quorundam
 Papistarum improbitas, nihil nos credere, nisi
 quod dicitur humana ratio? An philosophicis
 Speculationibus consentaneum est, in anima-
 tum & terrestre elementum efficax organum
 esse Spiritus sancti? An fert ratio naturæ, ut
 e cælo in terram vsq; penetret viuifica illius
 carnis virtus, & in animas nostras admirabili
 modo influat? An ex naturalibus principijs
 sumptum est, quicquid Minister ore pronun-
 ciat ex Dei verbo, & symbolo figurat, Chri-
 stum intus præstare? Certè nisi cœleste myste-
 rium

Sic Theophilus Ale-
 xandrinus.
 lib. 1. de paschali scri-
 psit.

rium nobis esset sacra Cæna, tam præclaros & carnis rationi incredibiles effectus ei non tribueremus. Quare facessat hinc istorum Papistarum improbitas, qui impudenter vociferantur, nos carnis ratione Dei virtutem moliri. Porro aduersus contemptores Cænae Domini: cæ cum Diuo Augustino ita dicimus: Quamuis Deus absq; signo visibili quos vult sanctificet, quisquis tamen signum contemnit, inuisibili sanctificatione merito priuatur. Hoc quantum sit malum, reputent secum Christiani Lectores. Minimè verò possumus approbare Papisticas illas prorsusq; iniquas damnationes Orthodoxorum Christianorum, qui de veritate corporis & sanguinis Domini, ac natura diuina & humana in Christo, rectissimè sentiunt, qui vsum Cænae Domini agnoscunt, qui ritum à Christo summo & aeterno Pontifice traditum obseruant, & qui verba mystica exemplo vererum Theologorum rectè interpretantur. Hac de causa formulam Confessionis Gallicarum Ecclesiarum de Cæna Domini subiecimus, vt sequitur.

Lib. quest.
literis Te.
sta. 3. quest.

24.

CONFITEMUR sacram Cœnam testimonium esse vnitatis nostræ cum Christo Iesu. Qui non modò pro nobis semel mortuus est ac resurrexit: verùm etiã nos vera sua carne

Iohan. 6.

suoq; sanguine pascit alitq;, vt vnum simus
cum ipso, & sit nobis vita eius communis. Qui
A. 1. & 3. etsi in caelo est donec veniat vt mundum iu-
dicet: credimus tamen, vi arcana & incompre-
hensibili Spiritus Sancti, nos aliac viuificari
substantia corporis eius. Ac spiritualiter qui-
dem id fieri arbitramur: non vt effectus veri-
tatisq; loco, imaginationem cogitationemue
inducamus, sed quia mysterij huius sublimitas
intellectus nostri modum, totumq; adeo natu-
ra ordinem superat. Denique, quia caeleste est,
apprehendi nisi fide non potest.

CREDIMVS tam in Coena quam in
Baptismo Deum re ipsa largiri, quod illic fi-
gurat. Quare cum signis veram possessionem
fructumq; eius rei qua nobis illic offertur, con-
iungimus. Vnde quicumq; ad sacram Iesu Chri-
sti mensam, tanquam vas quoddam, fidem af-
ferunt, verè compotes eo fiunt quod signa re-
stantur: corpus videlicet & sanguinem Iesu
Christi, non minùs cibum ac potum esse animæ,
quam panem & vinum corporis.

Aquam itaq; quamuis caducum sit elemen-
tum, nihilominus testificari constituimus inte-
riorem ablutionem animarum in sanguine Ie-
su Christi, opera Spiritus sancti: panem & vi-
num in sacra Coena nobis traditum, verè nobis
feri

fieri alimentum spirituale, quòd quasi ob oculos ponant, Christi carnem, cibum, ac sanguinem nobis esse potum. Quo nomine fanaticos reijcimus, qui huiusmodi signa notasq; aspernantur, quum Christus dixerit, Hoc est corpus meum, & hic calix sanguis meus.


Huc usq; Confessionis formula, quam adscripsimus pio & simplici animo, nec dubitamus nos causam piam & Ecclesie necessariam agere, ac precamur Deum, vt mentes omnium Gubernatorum flectat ad illustrandam gloriam Domini nostri Iesu Christi & ad promouendam salutem populi,
Amen.

F I N I S.





HEIDELBERGÆ,
Excudebat Iohannes Meier.

















The image shows the front cover of an antique book. The cover is decorated with a traditional marbled paper pattern, often referred to as a 'stone' or 'shell' pattern. This pattern consists of dense, overlapping, wavy bands of color in shades of deep red, dark blue, and a golden-brown or ochre hue, all set against a dark, almost black background. The overall effect is a rich, textured, and somewhat hypnotic visual. In the bottom right corner, there is a small, white, oval-shaped paper label. On this label, the letter 'E.' is printed in a simple, black, serif font. Below the 'E.', the number '2' is also printed in the same font. The book's spine is visible on the left edge, showing some wear and the binding structure.

E.

2